

LIX. Norma prima nostri erga omnes amoris benevolus ac misericors DEI amor existit, cuius imaginem Jesus Christus in seipso, ceu sensibili ectypo excellentissimum expressit.

LX. Quidquid ergo veri amoris in quavis hypothese nobismet ipsis, hoc in hypothesium paritate vicissim et aliis *interna obligatione* debemus: extorqueri tamen charitatis officia non possunt.

LXI. Inter plures diversos homines recte præhabemus eos, quibus benefaciendi maiora, nec aliis communia motiva adesse cognoscuntur: itaque singulari titulo filii parentibus, clientes patronis &c. obstringuntur: ipsa beneficii magnitudo non ex effectu, sed a benevolo benefactoris animo metienda.

LXII. In collisione plurium bonorum, quæ alteri benevole velimus, amor ordinatus bona moralia physicis, iucundis necessaria præfert. Idcirco veræ Religionis amplificatio, a qua non æterna solum, verum etiam præsens populorum felicitas pendet, princeps erga alios officium est.

LXIII.